

scriptores; quando Leo Pontifex, uti ex Anastasio relatum est, pridie D. Andreae sub exitum Novembris Romam tandem reversus est. Interque Romanos ordines, qui Pontificem incredibili gaudio redeuntem exceperunt, memorantur apud Milvium processisse Pontifici obviam Scholae Francorum, Frisonum & Saxonum. Adeo semper Carolo cura fuit de Saxonia, ut jam Hadriano Pontifice Saxonum adolescentes transmitteret Romam, literis & Christiana religione informandos; quos ex obsidum aut captivorum numero, aut ingenuorum delectu, ad illud seminarium pietatis transmisit. Quemadmodum ceteros obsides adolescentes aut Herbipolim, aut Ultrajectum, aut Rhemos, aut ad alia Franciae Germaniaeque florentia Clericorum collegia transportari iussit; quo ex illis haberet probatae virtutis & doctrinae Sacerdotes, quos incultis per Saxoniam populis imponeret Pastores doctoresque Evangelij. Et si quis haec conferat cum ijs, quae à Leone Pontifice acta sunt per Saxoniam, insanire prorsus dixeris eos, qui aliam quam Romanam religionem à Carolo in Saxoniam nostram introductam comminisci, & suae haereseos plebi persuadere, palamque editis libris per summam fallaciam spargere audent.

Annus Christi 800.

Leonis III Pont. 5.

Caroli M. Franc. Reg. 33.

Hathumari Ep. Pad. 6.

Pontifice honorificentissime à se dimisso Romam Carolus Carolus Aquisgrani hyemavit inter festos Natalis Christi & Paschatis dies, M. Romae altero mox anno per Autumni tempus Leonem Pontificem Romam à Leone consecutus. Ubi sacratissimam Natalis Christi die, inter Missarum solemnia, in Basilica B. Petri Apostoli Imperator à Leone coronatus est, Imperator coronatur. acclamante populo KAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO, IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA. *Post quas laudes, ut Francorum annales addunt, à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde omisso Patricii nomine IMPERATOR & AUGUSTUS appellatus;* cum ob rerum magnitudinem pro Ecclesia Christi gestarum, tum etiam ob Saxoniam subactam, Christoque partam. Jam enim quam late ab Rheno ad Albim, ab Isala & Frisiae finibus ad Salam & Thuringiam ingenti terrarum populorumque spatio protendebatur, cum imperio Francico Christi legem ac religionem susceperat: jam omnis illa regio vasti instar regni in Episcoporum sedes à Carolo descripta erat: jam Episcopatus octo conditi absolutique erant, duobus praeterea inchoatis: jam & Episcopi in singulas suas dioeceses ac sedes

Ann. Franc.

sedes